UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Princeps Christiano-Politicus Septem donis Spiritus sancti instructus Anno M.DC.LVI.

Faust, Reinhard

Herbipoli, 1667

Discursus Quartus. De Fortitudine, Quarto S. Spiritus dono. Consurge, consurge, induere Fortitudine tua! Isai. 52.

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-55326

Visual Library

DISCURSUS QUARTUS. DE FORTITUDINE,

Quarto S. Spiritus dono.

Consurge, consurge, induere Fortitudine tua! Ilai. 52.

CAPUT I.

Principis Christiano-Politici Fortitudo.

Diligam te Domine fortitudo mea! Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus! Circumdede-

runt me inimici, & tauri pingues obsederunt me. Sine te nihil possum, tecum omnia. Tua ope ex statu peccati & damnationis ad statum gratiæ & gloriæ assurgimus, tua ope hostium robur & calliditatem, machinas, & insidias frangimus, elidimus, & superamus. Tua ope imbelles victoriam, & pueri triumphales coronas reportârunt, imò terræ inquilini cœlum expugnârunt. Fortissime Deus Israel! Da, ut induar hac tua fortitudine, da, ut particeps fiam virium, quibus inimicus omnis succumbat; sis tu fortitudo in omni tribulatione, munimentum humanæ mentis inexpugnabile, à quo fortitudo, quæ Principis statum circum-

circumvallat & tutatur, quæ vitiorum impetus, fortunæ insultus, hostium machinas frangit, reprimit & enervat; quæ infractis viribus ipsa virtutum omnium ornamenta, gratiarum cimelia, ipsum denique Deum expugnare, & feliciſſimam quandam victoriam reportare videtur, ortum trahit. Hæc si adversa impetunt, non inconsultò timet, si ardua impendent, non temerè audet; hæc aggreditur, illa superat: Moderatum, temperantem, justumque facit Principem, ut Dei honorem & majestatem pro reip. salute summis etiam cum periculis & laboribus sustineat, parens orphanorum, tutor viduarum, satelles di-

vitum, oculus cœcorum, pronexeta salutis publicæ, terrestris quasi quidam Deus, & in cura singulorum & omnium indefessus & imperterritus propugnator, qui non tam legis rigore audaciam humanam, quàm regiæ fortitudinis terrore coercebit. Si variarum appetitionum telis pharetrata minatur avaritia bellum, opum aviditate se vinci non sinit; Si variis cupido illecebris animum inescare & dissolvere attentat, disjicit; Si calamitas, mortis metus, tyranni persecutio arma movent, classicum canunt, aciem instruunt, fortitudine hac suffultus Princeps huic non succumbit, illam contemnit, isti insultat. Viâ consistit

regiâ

regiâ vir fortis, à qua nec ad dexteram declinat, ut temerarius & pertinax, nec ad sinistram, ut formidolosus & pavidus: videre mihi videor hoc aggere circumvallatum virum, ad labores invictum, ad pericula audacem, rigidum adversus voluptates, victorem denique prosperitatis & adversitatis, divinum Herculem; ad quem si naturæ robora, belli nervus, subditorum benevolentia, armorum peritia, benè educata soboles, rectèque constituta ministrorum obsequia accesserint, fortissimum Principem peculiari curâ divinæ providentiæ tutum, urbium & animorum expugnatorem suspexeris. Nec quicquam efficacius

ad regnum conſervandum iſtâ Dei, animi, corporis, fortunæq; curâ & armaturâ expugnari neſciâ expugnare peritiſſimâ excogitaveris.

CAPUT II.

Fortitudinis Benevolentia.

OPes conſervantur induſtriâ, populi benevolentia beneficiis obtinetur, quibus etiam cuſtodiæ potentiſſimæ & fideliſſimę curantur. Principis amor contra alienas injurias ſcutum eſt; qui è pede leonis ſpinam extraxerit, fortiſſimum ſui defenſorem effecerit: benefaciendo adverſa proſternit & depugnat: injuriando excœcatur ut Samſon,

ſon,& vehementer collisis curię ſuæ columnis opprimitur: quos fideles bello exoriente experiri oportuit, ſi diſcordes opum, honorisque ſtudiis tolerat conſultores, fovet everſores. Malè cuſtoditur civitas, quando odium populare graſſatur,& tantarum ſcopus offenſarum Princeps efficitur. Virum fortem injuriæ illatæ,& æquo animo ſuperatæ,& faciunt,& probant; non cruda in ſubditos barbaries fortitudo eſt. Si neceſſe eſt agere in ſubditos, tondere ſuos non deglubere addecet. Qui vult amari Princeps, largâ & languidâ regnet manu. Principis amore natus amor ad ſervitia & fidelitates flectit omnes; difficultates frangit

omnes; Si odio dissidentes inter se fregerit, sui victor omnibus profuerit. Sapiẽter amoris Dea, Venus, armorum Deo Marti juncta in picturis gentiliũ conspicitur: In Principe laudandum illud connubium, quo majestati amor jungitur: hac in sede majestas & amor optimè conveniunt, fructuosissimè commorantur. Hoc igitur Princeps præsidio munitus virtutum, unde unde provenientium hostiũ impetus retundet. Dei tutela armatorum clypeus est; virtutis magnanimitas, classes & legiones; amor civium auctus donis firmum est regni munimentum, quod hostes metuant, quod majestatem stabiliat. Quod si in ista ani-

animi generosítate æquitateq; Principem bellorum injuriæ lacessíverint, compositis suorum animis, conjunctis viribus, vitiorum superato agmine, in majora adjumenta explicato animo, arma capessat, pugnet animis, pugnet verbis; aureis, argenteis, ferreisque, prout sęcula fuerint, pugnet hastis. Sunt enim tempora, quibus ferro, sunt, quibus verbo, sunt, quibus auro amor, honor & majestas conciliatur & conservatur. Unde si Deus pacis, qui & exercituum Deus est, bellum immiserit, oppugna & expugna vitia, aggredere hostem, postula fortitudinem & dic: Da regnorum Princeps æterne, tutor regni & populi,

animo meo profundissimam reverentiam & amorem erga fortitudinem tuam! Domine fortis, Domine potens, in adjutorium meum intende, ad adjuvandum me festina: circumdederunt me canes multi; consilium malignaverunt super me, nihil sine te possum Deus fortitudo mea, in te, & per te spero auxilium; da vires, ut de omnibus hostibus tibi erigam trophæa victor.

CAPUT III.

Fortitudinis Exercitium.

CElata virtus ab inertia non multùm distat, sæpè ipsissima & prudentum, & vulgi ore appella-

pellatur ignavia, cui omnes Dii negant favores. Exere vires, quisquis Athleta Christi audire desideras: confortare, & esto robustus, si regni incolumitas, populi salus, Dei honor exigit; si necessitas urget, indue armaturam Dei, cujus causam tuæ communem facias oportet. Nō metue, quid faciat tibi homo, Dominus protector vitæ tuæ, status tui, posteritatis tuæ, à quo trepidabis? Galeam capiti, loricam pectori, scutum sinistræ, acinacem dexteræ insere, liber, intrepidus, alacer magna aggredere: Sit fortitudo tua lex Justitiæ. Si leo rugiens, si ursus esuriens, si lupus diripiens rictus pandant, dentes stringant, un-

gues explicent, accinget se, & te Deus, Deus exercituum ad prælium. Ubi enim est domus Justi, & domus Sapientis, plurima est fortitudo, multa victoria. Leonem Samson domuit, David adhuc juvenis discerpsit. Ipse Deus author & amicus pacis, exercituum quoq; Deus appellari voluit: Si causam ejus egeris, in hostium interitum animabit ventos, exiccabit maria, armabit cœlos, sistet solem, bellum geret, ducet turmas, sternet hostes, non immemor causæ suę in suos, tuosque triumphos largietur laureas. Non time, ignavos despicit, magnanimos adjuvat, timidos repellit, fugiet impius, nemine persequente, ut justus

quasi

quasi leo imperterritus triumphet. Imitare Moysen, Josuen, Machabæum, pro aris & focis præliati victorias reportârunt. Attende solùm, ne te Bethsabea impediat, ne te Dalila enervet. Scipio Africanus, Valerius, Pompejus magnus, Trajanus, Adrianus, Aurelianus, & sexcenti alii non artium tantùm & amorum, sed & armorum labores experiri voluerunt. Delitiis & divitiis Heroes isti, Duces & Imperatores egestatem & asperitatem sæpiùs prætulerunt. Ad exemplum Imperatoris sui Marii milites à laboribus bellicis, muli Mariani dicebantur : Sic nimirum à Duce stragibus edendis assueti, ut fermè sine anheli-

helitu, ſine ſudore in bello Cimbrico multa millia ceperint, multa millia deleverint. Caroli, Ferdinandi, Caſimiri, Leopoldi; & ante hos Dagoberthi, Clodovæi quid non pro ſua Deiq; cauſa præſtiterunt? Sentire ærumnas, experiri exilia, calamitates ſuſtinere, ſuorum clades ad mortem uſque perpeti voluerunt, ut de Dei hoſtibus triumpharent. Militiam credebant eſſe eam, in qua fortitudo infirmitatibus roboretur: Diſciplinam virtutis, in qua calamitas Magiſtram agat. Si qui celebrantur fortes, in ærumnis utriusque militiæ, ſacræ ſcilicet & profanæ floruerunt. In cruce Chriſtus, ſub cruce Theotocus; in igne

Ana-

Ananias, in cratibus Laurentius, in preſſura, in cippis & cataſtis, in equuleis, in rota, in ferro quamplurimi tormenta & ipſam mortem ſuperârunt, & glorioſiſſimè triumphârunt. Contemplare iſta, & admirare divinæ fortitudinis exercitamenta. Philoſophum cum paupertate, Theologum cum ludibrio, Oratorem cum ſarcaſmo, Religioſum cum ſibilis & illuſionibus, militem cum morte fortitudo componit, atque uno in theatro cœlo terræque ſpectaculum exhibet admirandum. Quòd illud vas electionis, divus Paulus de contumeliis, de falſitate fratrum gaviſus fuerit, fortitudo fecit. Fortitudo mater eſt tole-

ran-

rantiæ, magistra paupertatis, victoria omnium difficultatum; imò ipsius mortis. Hanc si Christianus Princeps omnium virtutum parentem, omnium malorum victricem possederit, beatitudinis magnam partem in hac vitâ obtinuit: Insidias sceptris & coronis, Imperio & subditis, vitæ & hæreditati structas vilifaciet; sola hæc ad domandos animi motus, ad repellendas belli injurias sufficere Principi videtur, sola dignum Imperio, triumpho, & memoriâ non moriturâ facit Imperatorem; *sola* hæc artem bellandi nobilitat, artem, quâ injuriæ arcentur, jura dicuntur & distribuuntur, atq; regna conservantur, extollit.

CA-

CAPUT IV.

Fortitudinis Victoria.

NObiliſſima pacis genitrix, utilitatis & honeſtatis procreatrix eſt fortitudo; quæ omnium incommoditatum victoria, poſt bellicas etiam calamitates devictas, rerumpub. unicum penè emolumentum eſt & ornamentum. Percurre unà mecum caſtra, exercitus perluſtra, damna, cruditates, excidia, internecionesattende, & omnium iſtarum miſeriarum victricem & triumphatricem reperies fortitudinem. Bellum præter dubios eventus Principum ærariaexhaurit, calumnias gignit, ſcelera

lera & scelerum impunitatem infert; hac in disciplina & salus regis, & regni periclitatur. Hæc & sexcenta alia vincit fortitudo. Si miles linguâ magis & faucibus, quàm velitationibus; magis vitiorum insolentiâ, quàm ferro dimicet, vincit istam impudentiam fortitudo. Si Dux belli non tam regi, quàm regiis spoliis, non tam justæ causæ, quàm suo honori intentus sit, vincit istam iniquitatem fortitudo; si & Dux & miles, socio surripere, quàm hosti, doctiores, atque ad fugam, quàm ad pugnam aptiores fuerint, vincit istam injuriã fortitudo: Si uterq; inexpertus, ignarus, infausto eventu perterritus, non tam regem

gem victorem, hostemque victum, quàm belli moras, provinciarum vastitatem, fortunarum suarum augmenta, vindictæ occasiones, honorum suorum continuationem intẽdant, vincit istam fraudulentiam & dolositatem fortitudo. Magnæ sanè sunt calamitates belli, plagæ magnæ, quę etiam à justa defensione bellatorem robustum & generosum absterreant. Attamen efficit fortitudo, ut vir fortis, obducto miseriarum callo, plagas istas non æstimet: Regni vastitatem, animorum squalores, injuriarum exercitationes, suimet ipsius penè & regni excidium perferat. Siquidem viro forti ipsa etiam mors altera vita esse

esse debet. Animosè igitur sustinendum est illud calamitatis bellicæ patagium, modò necessitate compulsus Princeps bellum susciplat, generosè vitia & hostes oppugnet, sub suis signis impunitatem sceleris permittat nulli, ne idem flagitium sæpiùs incassum castigare videatur. Victoria sanè ejus erit, qui prior nialis occurrerit. Æmilius Probus nunquam, nisi coactus necessitate, & utilitate persuasus acie conflixit: Fabius cunctator sedendo, invicti alioquin Hannibalis effectus est Victor; severi enim in vitia, pii in patriam fuerunt. Quicunque ad hoc fortitudinis exercendæ theatrum protrusus est, quicunq; ad hanc bel-

line-

linecessitatem compulsus est, à ratione ducat exordium, tardum consilium celeris executio excipiat; utendum est arte militari etiam fortissimo, non ad vitia alenda, non ad fines injustè extendendos, sed ad justitiam unicuique distribuendam; in cursu sagacitate, patientiâ & disciplinâ utatur, & victoriâ potietur. Justitia belli esse debet non ratio justitiæ adumbrata, religionis in Deum obligatio, non ejus prætextus, non regionis desiderium, suorum in jure & libertate conservatio, non prætensæ libertatis larva, si à Deo felicem belli eventum speres. Qui regnandi libidine, qui alterCandi studio alienis insidiatur limiti-

mitibus, alienis sceptris & dignitatibus inhiat, nisi à tanta ambitione, invidiâ & injustitiâ adhibito conatu fuerit impeditus, injuriæ omnis injustitiæque vindex Deus insolentem in alienis juribus possessorem & triumphatorem novo bellandi modo, malo rerum usu, corporis eluvie, famæ jacturâ, bonorum incendio, spoliorum naufragio, suorum penè infami internecione, fame, mortalitate, totiusque status sui pristini, præsentis, & futuri eversione, in viri fortis & sui victoris favorem castigabit: & hanc cladem infert patientia: hæc tam laboriosa de hoste victo & victore statuit trophæa, fortitudo.

CA-

CAPUT V.

Fortitudinis Industriæ.

PUgnet nihilominùs injustè lacessitus bello, pugnet armis, pugnet animis. Si vincitur, victor sui sit, & æternùm triumphabit. Pugnet generosè, si aperto Marti aleam belli non credit, si suorum timiditate, & virium tenuitate, si hostium insolentiâ & numerositate periculum subire metuit, non abjiciat animos. In justo bello insidiæ & stratagemata gemmæ sunt. Si tubarum clangore terrere non valet animos, pertentet eloquio; si ferro non valet, aurum adhibeat; auro omnis majestas

venalis est. Gedeon Madianitas dolo vicit; Gabaonitæ salvum conductum ab Israëlitis dolo obtinuerunt: Præclarissimi milites in assultibus leones, in astu sæpè non infructuosè vulpes fuerunt. Achylles artis militaris peritissimus, & fortissimus Magister medullâ leonum & cervorum nutritus fuit: Cautis scilicet & audacibus præceptis instructus esse debet militiæ Dux & Imperator. Victoriam facilè reportabit, qui loci, temporis, armorumque attendit commoditatem, qui in ignavis ignaviam castigat, in valerosos liberalitatem exercet, justitiam stipendiariis administrat, qui hostium

stium vires, machinationes, secreta & decreta penetrat, qui utilitatis occasiones in manus inimici elabi sibi non sinit, qui inter hostes donis & promissis lites seminat, & promovet, qui suis annonam deesse non patitur, non credulus novorum, non immemor periculorum; Victor denique erit, qui legis divinæ atque militaris disciplinæ accuratus, sapiens, piusque observator, veluti Dux & Magister, tam contra vitia, quàm contra inimicos, mente, linguâ, manu, pro se, suisque pernox & perdius steterit, vigilaverit, pugnaverit. Victor in cladibus, victor in vastitate provinciarum, victor in

omni calamitate erit, si de le victoriam reportaverit. Atq; hæc sunt fortitudinis opera, infra quæ longè Agamemnones, Jasones, Alexandri, Brutique fuerunt. Nam ad Redemptoris nostri leges sunt hæc bella, secundùm normam à Deo præscriptam, ad status tranquillitatem & pacem æternam instituta; quorum finem ut assequaris, postula à Deo & dic: Dominator Domine longanimis & fortis, qui confringis cedros, qui conteris montes, qui eligis imbella, ut confundas fortia, confirma me hoc robore tuo, ut nulli hostium succumbam; qui præstabilis es super omnia, præsta, ut vincam memet & adversum te pu-

pugnantes; da ut induar fortitudine; quâ devictâ terrâ cœlos expugnem, & tua fortitudine fruar in æternum!

CAPUT VI.

Fortitudinis Potentia.

INterrogatus Socrates, quid sit fortitudo, nodum esse animæ respondit: vinculum nimirum, quo anima corpori, & homo omni virtutum ornamento non solùm connectitur, verùm etiam contra omnes internos externosque hostium impetus, ne tantis malorum violentiis ad divinæ legis prævaricationem, & inde ad æternæ damnationis abyssum abripiatur, armatur.

Interrogatus Democritus, quid fortitudo efficiat? dispendia, inquiebat, imminuit; nimirum fortiter ferendo omnia adversa, quæ nobis nostrisque rebus interitum afferre videbantur, vincit. Dispendium est, si incendium devorat domicilia, imminuit illud fortitudo; dispendium est, si hauriat oceanus fortunas, minuit fortitudo; dispendium est, si inimicus furor vastat regna, minuit fortitudo; avaritia & ambitio in tuum excidium armant amicos, imminuit hoc dispendium fortitudo; mortalitas squalorem inducit, fames enecat, exulcerant morbi, rapitur proles, decidit corona, excu-

titur

titur sceptrum, periclitatur vita, quantarum rerum quanta dispendia! omnia ista imminuit fortitudo. Nulla istarum adversitatum voluntatem in Deo fixam, atque fortitudine soliditatam in pravum flectit; fortitudo ipsâ morte, quam in triumphum ducit, fortior est. Tametsi enim mens corpusque doloribus usque ad mortem excrucientur, fortis ab amore & usu honestatis non avertitur. Hostium insidiæ, machinæ, insolentiæ, violentiæ, ipsæ etiam victoriæ prędominentur; contra omnes omnium hostium conatus & triumphos vir fortis iis, veluti glorię suæ instrumentis, ad suam

felicitatem & ſalutem utitur; ita ut omnia incommoda vertat in uſum Juſtitiæ, omnia rerum diſpendia in ſalutis compendia. Hinc, qui inter invidiæ flammas inviolabilis, inter voluptatum illecebras ferreus, inter dolorum acrimonias impenetrabilis, inter mortis terrores imperterritus ignem, ferrum mortemque ſuſtinet, beatus efficitur: quia fortitudine roboratus ſuſtinuit. Fortis in civitate murus, in munitione propugnaculum, in oppugnatione machina, in aſſultu expugnator eſt; inter ærumnas robuſtus, inter rerum anguſtias non contritus, uno defunctus periculo, proximis & gra-

gravioribus paratus est defungi vir fortis.

CAPUT VII.

Fortitudinis Fructus.

TAuri Marathonii cornua comprehendere, Nemeæi leonis robur elidere valet vir fortis. Conjice eum in mortarium, veluti crudelis Nicocreon Anaxarchum, respondebit cum hoc Philosopho, mantica, exuviæ, emortuæ pelles, non fortis, non Anaxarchus tunditur: Vende Ægyptiis, Prorex erit; projice in ardentem fornacem, cantabit; Si cum Lucio Licinio dentato centies & vigesies victorio-

so sexcenties vulneretur & concidatur, si cum Cecrope, si cum Codro pereat, nullus eum adversitatis concursus, nulla eum mortis crudelitas à mentis libertate, tranquillitate & salute avocabit. Hic sanè non Achylles Romanus, sed Princeps Christianus est, qui rejectis superfluis, contemptis opibus, sola honestate, sola virtute contentus adversa non timuit, in prosperis se non extulit, certus humanæ imbecillitati firmius præsidium hoc fortitudinis divinæ dono non concessum, quo penè solo reipublicę incolumitas animæque salus conservatur. Tanti viri pretium procul & de ultimis

mis finibus est! tanti viri indumentum fortitudo est! tanti viri Deus, Deus fortis, Deus protector, Deus adjutor est! Mille hominum, mille dæmonum insidiis vir fortis exponitur; ne incidat, protegit eum Dominus; innumera incommoda impendent cervicibus ejus, ne impetatur, protegit eum Dominus; in scelera enormia, in flagitia immania lapsurus erat, ne caderet, protexit eum Dominus; jam jam hostium suorum futurus præda erat, & pabulum ignis æterni, ne fieret, protexit eum Dominus. Quid superest, nisi ut consurgat, & divina fortitudine indutus dicat: Pergemi Domi-

ne, perge custodire me, ut pupillam oculi, sub umbra alarum tuarum protege me! Tu enim protector vitæ meæ, à quo trepidabo? pergam ego habitare in adjutorio tuo, & in protectione cœli commorabor: da modò, ut hoc Spiritu principali confirmatus me vincam, ignavos plectam, fucos arceam, depeculatores exhauriam, insidiatores comprehendam, inimicos conteram. Culpâ meâ & alienâ enervatus sum; cado, caduntque mecum, qui mihi adhærent, nisi supponas manum fortitudinis tuæ; tempestas aquæ imminet, infernus aperuit os suum; da robur, fer auxilium, extende brachium misericordiæ & fortitudinis

dinis tuæ, ut vincantur, qui dicunt mihi quotidie, ubi est Deus tuus? qui tua tribunalia impetunt, qui sua templa polluunt, qui Sancta Sanctorum evertunt, ut agnoscant, & timeant te DEUM pacis, DEUM fortem, DEUM Exercituum, & tandem mécum te Dominum vivum & fortem Zelotem venerentur.

***